

fidem: sicut fieri potest, ut integra teneat
verba symboli, & tamen non rectè credat,
sive de ipsa Trinitate, sive de resurrectione,
vel aliquid aliud.

Hieronymus in Esaiam: Omnes voluptatis
magis amatores quàm Dei, non comedunt
carnem Iesu, nec bibunt sanguinem eius,
de quo ipse loquitur: Qui comedit carnem
meam, & bibit sanguinem meum, habet vitam
æternam.

Oecumenius ex veteribus: Indigni ignominia
afficiunt sanctissimum corpus Christi,
impuris manibus illud accipientes, & execran-
do ori suo admouentes.

Regula: Ubicumq; Patres negant, magis
eos carnem seu corpus Christi manducare,
& sanguinem eius bibere, ibi distinctè loquuntur
de manducatione bonis propria & spirituali,
quæ est Iohan. 6. cuius non sunt participes
mali & indigni, qui panem Dominum non
comedunt, & rem sacramenti non habent.

Preconiunctula ex Ambrosio, Hieronymo,
& Augustino.

Domine Iesu Christe, panis vitæ, qui de
cælo descendisti, quem cæli, terra, mare, &
omnia,